



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

Capvt II. Accessus Oratoris Hispani, Heluetici, ac Florentini. Lis inter duos postremos composita. Aduentus Procuratorum Hungarici Cleri. Sensa Philippi Regis exposita ab ipsius Oratore.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11665

16 Tunc itaque non ausi Præsides eam iustæ querimonie causam præbere Cæsarianis ac Cæsari, scriptum cum omnibus articulis ad Patres detulere: cumque cognoscerent, id multis suam infra expectationem ac votum videri posse, Mantuanus, cuius erat proponendi munus, studuit eloquenti proœmio rem amplificare. Postquam testatus est suam Collegarumque propensionem ad restituendam collapsam Ordinis Ecclesiastici disciplinam, ardoremque propensis ipsorum animis iniectum ab inflammatis ac frequentibus Patrum postulationibus, subiecit, exordiri se ab illis articulis, de quibus accuratam Synodi considerationem expetebat: ne grauarentur supersedere iudicio de rei æstimatione, tantisper dum opus iam absolutum aspiceretur. Quisquis, inquit ille, vnum alterumve corporis humani membrum diuisim à reliquo spectaret, non posset illud digno in pretio habere, donec animaduerso postea dispectoque integro illo admirabili naturæ edificio, proportionem atque vilitatem inspectarum antea partium cum ipso toto conferret. Similiter in quavis Republica in emendatione morum, & in singulis operibus, in quibus harmonia ac proportio insit, diiudicari non posse, quanti sit habendum adnexum reliquis id quod per se solum nullius pretij videtur, nisi obuersetur ob oculos totum conflatum. Quis vnicâ inspectâ tunicâ, vnicâ membranâ arbitraretur eas esse tanti momenti ad actus planè diuinos, nempe videndi aut intelligendi? Omnino conditionem esse partis, quatenus parsest, vt nihil boni aut ostendat aut habeat nisi respectu totius.

C A P V T II.

Accessus Oratoris Hispani, Heluetici, ac Florentini. Lis inter duos postremos composita. Aduentus Procuratorum Hungarici Cleri. Sensa Philippi Regis exposita ab ipso Oratore.

1 **A** Vidè prætolabantur Patres multorum Principum Oratores, qui dignitatem simul auctoritatemque Synodo conferrent. Sed tubinde sunt experti, ingentis esse lucis, vt quantum clarificet, tantum adurat ac percellat; cum ex ea sæpe litigia exorta fuerint, à quibus ipsi adigebantur ad tam infortunata iudicia, vt quidquid diiudicassent, ipsorum maxima esset iactura. Prior adfuit Ferdinandus Franciscus Aualus ab Aquino, Piscariæ Marchio, & Mediolani Moderator, à Rege Catholico Tridentum legatus, ne id officij amplius protraheretur; non ita tamen, vt liceret Aualo ibi consistere. Obuiam illi prodire nonaginta planè Præsules,

Diariū 14.
& literæ Legatorum ad
Borromæum,
16. Martij
1562.

Pars II.

A a a a

fules,

1562. sules, & omnes Principum Oratores, præter duos Ecclesiasticos Ferdinandi, quos non mittere fatius visum est Legatis, propterea quòd renata cum Hungarico fuisset Lusitani contentio: nec solus Hungaricus retineri poterat; quia videretur is loco cessisse Lusitano, nisi eius absentia cohonestata fuisset aliquo titulo, qui communis foret alteri, citra controuersiam Lusitanum præstanti, cuiusmodi erat Muglizius. Eà igitur habitâ ratione Legati dixerunt, satis esse, vt Hispano obuiam iret alter ex Oratoribus Cæsareis, ille scilicet, qui, vtpote laicus, Auali conditioni congruentior videbatur. Quare Piscarius inter Tonum ac Mascaregnam medius urbem ingressus est, quem excepit hospitio Mantuanus octo ipso dies, quos illic Aualus moratus fuit.

^b 15. Martij
in Diario.

Postridie Tridentum peruenerat ^b Ioannes Strozzius, Orator a Cosmi Florentini Ducis, ad quem complures Concilij Patres, quâ familiarum, quâ Ecclesiarum illi subiectarum causâ, attinebant, adeoque cum eius erga Religionem studio, tum erga Pontificem beneuolentiâ non parum ab ipso res Concilij sunt promotæ: & volumen litterarum, quas Strozzius ^c ad Ducem scripsit, à me perlectum, singulares ad meum Opus mihi rerum notitias suppeditauit. Supra sexaginta Patres illi accedenti extra Tridentum obuiam processerunt, & equitanti comites ad latera fuere Elius Patriarcha, & Episcopus Mendoza.

^e Inter scripturas Barberinorum.

^d 16. Martij.

Dies posterus aliâ legatione solemnis fuit ^d. Duos illa complectebatur ab Heluetiis missos: erat alter Melchior Lussus, Oratoris nomine destinatus à septem Pagis Catholicis, qui postea mandatum etiam accepit à Pago Claronensi, Catholicis & hæreticis mixto, sed prioribus in ea præpotentibus. Alter erat Ioachimus, Abbas è sancti Benedicti familia, qui Præsulum Clerique personam gerebat. Postea verò superuenit alter Abbas, Procurator Episcopi Sedunensis, & quarundam Canonicarum Regularium. Curatum est, vt honorificè exciperetur Orator, sexaginta ferè Episcopis illi obuiam Tridento egressis, & hospitium præbitum sumptu Pontificis, quemadmodum agi solet cum ea natione, vbi religionis causâ è patriis sedibus ipsius ministri legantur: vt proinde oportuerit eo temporis spatio, quo ille Synodo adfuit, ducenta scuta in mensis singulos eidem suppeditare ^e, haud minori summâ contento. Similiter pro more nationis, quamuis Italicè nosset, per interpretem loquebatur.

^e Constat ex litteris Borromæi ad Legatos, 18. Februarij, & 2. & 15. Aprilis 1562.

Eodem die in generali confessu Hispanicus Orator exceptus est; ^f vbi protulit litteras ac mandata Regis, in quibus Synodus discretè nomina-

nominabatur ^f *Continuatio*, non sine Cæsarianorum molestia; habitaque est eius nomine oratio consueta à Galeazzo Brugora, Mediolanensi, Fiscii Procuratore. Responsio illi reddita à Synodo, Ioannis Beroaldi Episcopi S. Agathæ opus fuit. Postquam autem Aualus breuiter egit cum Legatis de iis quæ paulò post narrabimus, Tridento discessit, cum illi necesse foret ad suam administrationem regredi, tamen nondum præstò esset aduentus Comitis Lunensis, cui legatio continua apud Concilium commissa fuerat.

1562.
f Litteræ Archiepiscopi Iadrensis, 16. Martij 1562.

5 Post biduum ab excepto Hispaniensi Oratore ^g admissus est in conuentum Florentinus; dein post duos alios dies ^h Heluetius. Sed confestim inter eos certamen coortum est, quod Legatos non modicè perturbauit. Etenim Heluetius ex mandato suorum Magistratum locum proximum post Oratores Venetos, ubi ij adessent, sibi postulabat, adeoque superiorem quouis alio, qui Venetis esset concessurus, qualis erat Cosmi Ducis Orator. Sed hoc Strozzius recusabat: è contrario prænuntiabat Heluetius, se, id nisi obtinuisset, pro eo ac sibi debere existimabat, illicò discessurum. Desperarunt Legati, posse hominem quietum effici, nisi fieret eidem satis; gnari quàm delicati, & ad iram proni sint Rerumpublicarum administrari, ac præcipuè Transmontanarum & popularium. Intelligebant, Heluetiorum abscessum tanto futurum fuisse gaudio hæreticis, quantæ fuerat mœstitiæ eorumdem accessus; & ex altera parte, nec facile neque conducibile futurum, causam Heluetio adiudicare: non facile, quoniam complures Duci studebant, non solum quotquot erant Antistites illi addicti, sed etiam ex Neapolitanis & Hispaniensibus, vxoris ergò: non conducibile, quia potuisset per id tanti Principis Italici animus alienari, cuius gratia magni esse ponderis censèbatur, quòd per suffragia Italæ nationi coniuncta haberetur æquipondium in viribus externorum, qui videbantur interdum minus æquè ac moderatè aduersus illam sentire. Quapropter statuerunt Præsides cursorem tabellarium ad Pontificem mittere, quòd per amicitiam, quâ Pius cum Cosmo iungebatur, studeret illi statim persuadere, ne huiusmodi æmulationem infunderet; & ubi Dux aliquem in eo molestiæ sensum experiretur, hunc ipsum bono Christianæ Reipublicæ donaret, quod sanè plus illi gloriæ plaususque peperisset, quàm quæuis prærogatiua, ex victoria de huiusmodi æmulo reportata. Intereà per opportunitatem sacratiore Hebdomadæ, dierumque festorum Paschatis, de industria Legati cœtum retardarunt, qui certaminis campus fuisset, donec responsio redderetur, quæ cita fuit, & ex sententia. Cosmus, prudenti ac modera-

g Die 18.
h Die 20.

i Litteræ Legatorum ad Borromæum, 16. & 18. Martij 1562.



1562. to animo Princeps, satis gnarus, quantum odij apud omnes Catholicos sibi conflaretur, si eius causâ Synodus amiseret obsequia illius potentis ac vacillantis Reipublicæ, mandauit^k Oratori, ne solemnibus functionibus interesset; sed cum tempus ad eas celebrandas aduentabat, per honestè quæsitam occasionem Tridento discederet, & propinquis in locis moraretur.

Alia superuenit legatio admodum honorifica, & nihil molesta, sicuti eæ quæ præcefferant. Die sexto Aprilis^l excepti sunt Ioannes Colosuarius Dominicanus, & Andreas Dudizius Sbardellatus, Episcopi Canadensis, & Titinnientis, qui communi nomine Præsulum Clerique Pannoniæ aduenerant. Necessariam Primariorum absentiam excusarunt, quòd ipsi suas Ecclesias diuexatas tueri cogerentur, suas omnes res in Concilij arbitrio reponentes, polliciti que promptam illius sanctionibus obedientiam. Orationem recitauit Sbardellatus, nomen, quod ob subsecutam hæresim & ipsi & Antistitum ordini ignominiosum superfuit: non propterea meritâ illum laude fraudauerim in dicendi lepore; unde effectum est, ut nulla alia oratio à Legatis adeò commendata reperiat: quare scripserunt^m, ab illa, tamen si maximè proluxa, ita eius uenustate Patres fuisse deceptos, ut quamquam integrum spatium, etiam negotio destinatum, conuentui ademptum fuerit, id illi nequiquam animaduuerterint; quod sanè perrarò contingit auditoribus sensu delicatis, temporisque præparcis. Responsum est, commendari à Patribus studium Primariorum erga Religionem; eorum res, Concilio ab ipsis commendatas, curatum iri, & gratiorem sibi futurum fuisse illorum Præsulum aduentum; sed cum publicæ necessitatis causâ detinerentur, & Osij Legati testificatio id confirmaret, eorum excusationes à Synodo admitti, præsertim quòd speraret, illic non minus quàm si Concilio adessent, eos rem Ecclesiæ promoturos.

Neque solum in speciosa urbanitatis officia tempus insumptum fuerat: Aualus, cum Tridento proficisceretur, Regis epistolam Legatis dedit, pietatis studium & obedientiam omnino spirantem, quâ illi non mediocriter lætati sunt, eius exemplo ad Pontificem transmissioⁿ. Orator edoctus ab ipsis fuit formam agendique rationem, ad eum usque diem obseruatam^o; & non modò absque querimonia, sed cum laude respondit. Affirmauit, in mandatis sibi traditis nihil inesse, excepto Continuationis capite, quod præteritis ipsorum actis discordaret; & quod spectabat ad futura, disertis sibi iussis impositum fuisse, ut ipse iis omnibus assentiretur, quæ aut causæ publicæ uniuersè conducerent, aut propriæ Pontificis: quia ubi

^k Ex responso Legatorum ad Borromæum, 30 Martij 1562.

^l Ex Diario.

^m Ad Borromæum, 6 Aprilis 1562.

ⁿ Epistolæ Legatorum ad Borromæum, 23 Martij 1562.

^o Eorundem litteræ ad eundem, 16 Martij 1562.

Historia
Concilij Tri-
dent.
pars II.

SIV

vbi censeret Synodus, cunctationem aliquam profuturam, Regem 1562.
 minimè repugnare; ita tamen, vt Aualus Hispanis Patribus palàm
 fecerit, mentem Regis non esse, eorum conscientis^p onus imponi: ^p Extat in
 proinde si moram opportunam existimarent ad præstolandos Ger-
 manos aliosque Hispanienses, qui propediem accessuri erant, id
 Regi molestum haud futurum; sin minus, & in eo & in reliquis
 omnibus prosequerentur quidquid Ecclesiæ conducibile putarent.
 Verùm Antistites illi nihil magis oderant quàm dilationem, vt quæ
 ipsis adimebat priuata suarum sedium commoda, nec honorificis
 momentosisque publicæ auctoritatis exercitationibus ea compensa-
 bat. Quare firmum præ se gerebant animum ad progrediendum:
 & quemadmodum in rebus magis odiosis hædissima semper species
 obtenditur, aiebant moueri Regem ad prolationem à Cæsaris po-
 stulatis, & à Cæsare illam peti non ex fiducia flectendi Protestantes
 ad Concilium in futuris Comitibus, sed ex cupiditate eos sibi alli-
 cendi ad electionem à se conquistam, quâ eius filius Romanorum
 Rex constitueretur; & ad quam existimabat eos non facile addu-
 ctum iri, si Tridentinis proscriptionibus, eius consensu habitis, illi-
 denuò percellerentur. Quicumque molestè fert Principis actiones,
 lenire ægritudinem solet, eas ambitioni vertendo; siue id fiat ex ve-
 rissimilitudine insimulationis, siue quia, cum Politica quædam sit
 ars quam perpauci probè callent, sibi quisque arrogat facultatem
 eius concipiendæ, suoque arbitratu exprimendæ.

C A P V T III.

*Cæsaris & Gallorum intentio. Res agitata in Aula Gallicana
 de Religione & Concilio.*

1 **E**X eo etiam acerbior huiusmodi mora Patribus videbatur,
 quòd Drafcouizius, qui eam ardentissimè flagitabat, simul
 aiebat^a, Comitibus non ante Augustum mensè esse celebra-
 da. Idcirco Legati parabant missionem cursoris ad Delfinum Nun-
 tium, quò is clauum illum validis ictibus intruderet; sed ea necesse
 non fuit. Iam ille ex superioribus Legatorum Pontificisque man-
 datis exposuerat Cæsari, quàm esset & difficilis & importuna Epi-
 scoporum diuturna ibi retentio cum Ecclesiarum suarum detrimen-
 to, & absque vniuersali expetito adiumento. Id nonnisi cum eo-
 rum indignatione, probroque Reipublicæ Christianæ fieri posse.
 Quare Ferdinandus respondit^b, Se recti desiderio, & æquis ratio-
 nibus impulsus, petiisse vt res protraheretur; sed vbi Patres ob

^a In epistola
 Oratoris ad
 Cosmum
 Duces, 9. A-
 prilis 1562.

^b Literæ
 Delfini ad
 Legatos,
 30. Martij,
 visæ ab Ora-
 tore Floren-
 tino, vt is in
 prædicta epi-
 stola testatur.